

IACOBI. STAALKOPEF.

DISSERTATIO. EPISTOLICA.

DE.

PECCATIS. OMISSIONIS.

AD.

VIRVM.

ADMODVM. REVERENDVM.

ET. CLARISSIMVM.

DN. GEORGIVM.

STAALKOPFF.

ROSOVIENSIVM. PASTOREM. VIGI-  
LANTISSIMVM.

PARENTEM.

EA. QVA. PAR. EST. OBSERVANTIA.  
AETERNVM. DEVENERANDVM.

DIE. XXIII. APRILIS. A. MDCCX.

ONOMASTERIA. SVA.

PIE.

CELEBRANTEM.

---

GRYPHISWALDIAE.

TYPIS. DANIELIS. BENIAMINIS. STARCKII.  
Reg. Acad. Typogr.

1103 Coll. diss. A  
SS 222, 51

Diss. A. 222, (51)

*Handwritten signature*



JACOBUS STAMBOUR

DISSELTAR. HISTORIA

DE

RECENTIS COMMUNITATIS

VARIA

ADMODUM REVERENDI

ACADEMIAE

DM G E O R G I V M

STAMBOUR

ROSENFELD. HISTORIA

PARTE M



PARTE M

EM GUT. EST. HISTORIA

ADMODUM REVERENDI

ACADEMIAE

ONOMASTICA

DE

CELEBRANTIA

GRATIA. DIS.

Typis DANIELIS BENJAMINI, STARGITAE

Reg. No. 1. Page

40.





Arens conditorque rerum DEVS,  
sexto creationis die, consum-  
maturus magnificum ac splen-  
didum eiusdem Opus, Ada-  
mum ex gleba terrae creauit,  
atque eo ipso, haut spernen-  
dum infinitae uirtutis suae do-  
cumentum edidit. Qui enim  
machinam, tot membra, tot  
ossa, tot musculos, tot uenas ac arterias, tot uasa, tot  
canaliculos, tot ductus, tot liquores habentem, pro-  
ducere & effingere ualet, is omnium saniorum iudicio,  
& potentissimus & sapientissimus sit necesse est. Quae  
insignis prorsus sapientia Immortalis Numinis, uel ex  
eo etiam liquido & ad oculum patet, quoniam corpori  
huic scite elaborato, deinceps rectorem & motorem ad-  
iunxit omnis plane materiae expertem animam, pro-  
be sciens, solum corpus se loco mouere, cogitare, in-  
telligere, uelle, nolle, eligere, auersari non posse, uno  
uerbo ad hominis constitutionem non sufficere. Mens  
ista exquisitissimis coruscabat perfectionibus, adeo,  
ut primus homo, opera intellectus, supremum mode-  
ratorem rerum omnium sufficienter adgnosceret & me-  
diante uolendi facultate, eum saltem eiusque uoluntati  
tantum congruentia appetere ualeret. Dabatur quoque  
in eodem, suauissima motionum animi & apertionum



temperies. Illam uero ineffabilem felicitatem perdidit, comestione fructus arboris uetitae, & insimul uniuersum quaqua patet genus humanum, longe infelicissimum reddidit, quoniam in eo, ceu radice, principio seminali, capite ac Rege eiusdem illud peccauit. *Rom. V. 12.* Primum hocce delictum, quaedam quasi Pandorae pyxis fuit, ex qua quotidie, alia prodierunt innumera. Equum Troianum dixeris, qui ingentem malorum segetem procreauit. Hinc pellucidissimam in intellectu lucem spississimae exceperunt tenebrae, in uoluntate autem auersio à DEO bonorum summo, & ex aduersa parte conuersio ad cuiusuis generis flagitia est secuta. Ortae sunt inde illae generis humani pestes ac furiae, uoluptas, ambitio, auaritia, quibus mortalium haut pauci misere in transuersum abripiuntur. Ab Adamo in nos, median-  
tibus nostris genitoribus, uenenum istud ac longe pestilentissimum uirus est propagatum, quod Theologis ideo peccati originis nomine uenire consueuit, quia nempe cuilibet hominum, à prima statim eorum origine inest, & praeterea foecundissima aliorum criminum scaturigo & est & optimo iure appellari meretur. Quotiescunque enim, hancce omnibus naturali ratione oriundis Adami posteris, connatam considero labem, toties fontis uenenati imaginem menti meae obuersari deprehendo. Fonti suos debent natales riuuli, ex eodem scaturientes. Peccatum quoque originale non destituitur uitiorum actualium torrentibus, magna ui erumpentibus. Fluuii scaturiginis suae indolem imitantur, cum ex putridis lacunis, pel-  
lucidae



lucidae raro profilire soleant undae. Idem de praesenti negotio iudicium esse ferendum arbitror. Ex stygio quippe labis connatae aequore, nonnisi turbidae transgressionum uti appellantur actualium aquae possunt emanare. Serpentes innoxia non procreant reptilia, neque maledictus sibi que relictus ager, praeter carduum & spinas aliquid producit, quod de peccato originali tam certum est, quam quod certissimum. Nam & hic obtinet illud: mali corui, malum ouum. Qualis arbor, talis fructus. Gangraenam esse, imo morbum haereditarium uocari posse peccatum originis, pro certo habeo, siquidem una cum sanguine Parentes illud in liberos deriuant & transfundunt, quod deinde cancri ad instar, uniuersam peruadit hominum naturam. Coelum ideoque, nullo plane lucens fulgore, nullo prorsus lumine nitens, nulla serenitate coruscans; sed obscuris potius tectum inuolutumque tenebris, ac horrorem intensissimum incutere ualens, mira profecto exscribit similitudine. Vti enim illud celerrimos fulgurum ignes, ac inconditos tonitruum clamores portendit, imo ingentem imbrium, pluuiae & grandinis molem secum trahit comitem: ita etiam hoc, fulgura & tonitrua irae, Numinis potentissimi, meris uindictae ignibus aestuantis, grandinem ac imbres & temporalis & aeternae mortis excitat. Quae omnia, non solum originale; uerum etiam actualia peccata, nisi imputatione meriti absolutissimi Seruatoris nostri uera fide facta, eorundem ueniam consequamur, certo certius sequi solent. Variarum autem criminum, actu ipso commissorum



forum sunt species, quas uel exponere, uel saltem attingere, mea inpraesens nihil interest. Vnam saltem iam nominare liceat, qua uel commissionis, uel omissionis esse dicuntur. Ea uero contrariorum atque oppositorum esse solet conditio, ut cognitio unius pendeat à notitia alterius, & explicato uno, alterum uel sua sponte intelligi queat. Exposita quippe diuitiarum indole, facillimo negotio quibuscum paupertas molestiis & difficultatibus arctissime sit coniuncta, patebit. Pulcritudinis essentiam, si quis probe habeat perspectam, nulla plane ratione, quid per deformitatem significetur, illum latere potest, & uice uersa. Similem in modum, de aliis quoque erit iudicandum. Quare aliquid etiam ad explicationem peccatorum omissionis faciet, nosse, quaenam sint peccata commissionis. Finiuntur illa, per aberrationes à norma legis diuinae, quibus eadem, uitioso quodam opere uiolatur, ac non una ratione laeditur. Quae cum ita sint comparata, omissionis delicta nil aliud erunt, quam eiusmodi transgressiones, quae legibus haut conuenienti intermissione, à regula praeceptorum Supremi Numinis declinant. Peccatorum nomen ipsis competit, ceu idipsum ad oculum ostendit definitio peccati Ioannea 1. *Epist. III. 4. ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*, quae, uti à Spiritu Sancto immediata profecta est; ita necessario ἀκρίβεια quasuis alias debet superare. Id quod describitur, est ἀμαρτία, peccatum, cuius natura per ἀνομίαν exponitur. Notat illa, quandam illegalitatem & legi diuinae oppositam ἀταξίαν. Significat commissionem uel omissionem facti sine lege, indicat quoque



quoque aberrationem à lege & renitentiam contra legem inuoluit. Scita ergo diuina, in hacce transgressione negliguntur, uoluntas ab iisdem, imo à DEO ipso auertitur, & contra ad rem legi oppositam dirigitur & conuertitur. Equidem finis omnium illarum, quae ab hominibus suscipiuntur actionum, gloria huius Vniuersitatis Parentis esse debet. Ad hoc centrum omnes cogitationes, omnes sermones, omnes denique molitiones de iure tendere oportet. Scopus praefixus esse debet Benignissimum Numen, cum solum Summi Boni & nomen & rem gerat, eo quod nulli praeter ipsum *κρίσις* eiusdem, à moralium Doctoribus afferri solita, competere luculenter satis deprehendimus. Summa igitur & ille fruatur felicitate necesse est, qui uere de Numinis possessione, ac suauißima cum eodem unione, sibi potest gratulari. Ast nos miseri mortales aberramus à scopo. *Ανομία* ista, quae nos omnes corrumpit, adeo est *ἀνομιᾶς*, ut plane nolit ad legem attendere, & eiusdem tum suasioni, tum prohibitioni, patentes praebere aures detrectet. Voluntas quippe hominum, externo saepius bonorum splendore ad eorundem appetitionem abripitur. Misere enim post lapsum cum eadem agitur, utpote quae, DEO inimica *Rom. VIII. 7.* adhaec in peccatis mortua est, *Ephes. II. 1. 5. Coloss. II. 13.* Quemadmodum igitur homo mortuus, uarie tractari potest, pro uiuentium arbitrio: ita pariter cum uoluntate hominum irrogenitorum, comparatum est, modo huc, modo illuc ab obiectis suis protruditur, quae apta sunt, tum ad uoluptatem, tum ad ambitionem, tum quoque ad auaritiam



ritiam excitandam. Ad haec tria quippe diuinus Ioannes omnes illecebras mundi refert, 1. *Epist. II. 16.* Vbi per ἐπιθυμίαν τῆς σαρκός, uoluptatem indicari, tam certum est, quam quod certissimum. Ἀλαζονείαν τῆς βίης, ambitionem notare, satis quoque clarum esse uideatur, saltem scrupulum mouet ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν: ast excutit, eximitque eundem, recepta in sacris literis auaritiam describendi ratio. Euoluas enim tantum Prouerbia Salomonis, consulas saltem *uersiculum 20. Cap. XXVII.*, & deprehendes, auaritiam ibidem per oculos insatiabiles significari. Praeterea, ratio ex quotidiana dari potest experientia, quoniam auari, summam capere solent uoluptatem, ex contemplatione suarum diuitiarum, earundem assidua uisione, sese recreantes. Tria haec uitia, simul cum obiectis suis, bonis decoris, utilibus & iucundis, quamplurimos, ex mortalium forte, in transuersum agunt, ab amore Numinis, ad nimiam inordinatamque sui aestimationem, eos pelliciendo. Res quippe decorae, delectabiles ac utiles, sunt ignes quidam fatui, à recta uia ad salebras & deuia auocantes. Versamur hic in uia ad patriam coelestis curiae. Πολίτευμα nostrum in coelis est, *Phil. III. 20.* Non habemus hic manentem ciuitatem; sed futuram quaerimus *Ebr. XIII. 14.* Natura, ut cum TVLLIO loquar, commorandi nobis diuersorium, non habitandi locum dedit. Quantae uero, ac quam multae non reperiuntur ἀνομίαι? omnes philautiae, ex fonte peccati originalis scaturienti, originem debentes suam. Si ergo ista, quae uoluntati nostrae offeruntur bona, paullo alius rimemur, & aliquanto curatius intue-

intue-



intueamur, deprehendemus, eadem, cum certa quadam Serpentum specie, quae, EPIPHANIO, Sepedonum nomine uenit, pulcerrime conuenire. Describit illam Praesul priscae Ecclesiae longe grauissimus, quod innoxiiis uestita sit ouium uelleribus, exitiali tamen nihilofecius ueneno, in hominum perniciem sit armata. Sepulcris adsimilanda ueniunt, extrinsecus elegantissimis picturis, alioque ornatus genere decoratis, intrinsecus autem si spectentur, cineres atque ossa defunctorum, triste ac ingratum oculis spectaculum ostendentibus. Quamuis igitur eiusmodi bona, pessime mentiantur indolem ueri nominis bonorum, tamen homines rationis & reuelationis dictamen non audientes, ad uarii generis malorum patracionem & plurimarum actionum laude dignarum intermissionem seducunt. Ambitioni enim deditus, multa, ut suo unice honori consulat, omittit, quae non debebant intermitteri. Eadem ratione, de aliis, uanae uoluptati & ineptae auaritiae indulgentibus, iudicari posse arbitror. Ubique scilicet ingentem peccatorum omissionis molem licet inuenire. Quaeri autem de iisdem potest, utrum ad peccatorum actualium uberrimam messem, an uero ad labis originalis foecundam segetem referri debeant? Si uerum fateri uelim, non possum non eadem incensum actualium referre transgressionum, quoniam ipse Sacer Codex, sententiam hanc, haut spernendis euincit argumentis. Iacobum quippe hic in partes uocandum esse existimo, *Cap. IV. 17.* *Εἰδότες ἐν καλὸν ποιεῖν, καὶ μὴ ποιεῖν τὰ ἁμαρτία αὐτῶ ἐσίν* asserentem. Verba enim

B

μὴ ποι-



μη ποιειν καλον, Italem quae actu fit intermissionem significare, extra omnem dubitationis aleam est positum. A Discipulo ad Magistrum, dulcissimum nempe Seruatorem nostrum pergo. Sic autem ille: *Amen dico uobis, quatenus id non fecistis, uni ex istis minimis, nec mihi fecistis, Matth. XXV. 45.* Hic numero peccatorum actualium in impiis adnumeratur, intermissio operum beneficentiae, liberalitatis & charitatis erga pios, quae Sospitator benignissimus *comm. 35. & 36.* recenset. Eodem spectat effatum CHRISTI, penes LVCAM *Cap. XII. 47.* reperiundum: *Ille autem seruus, qui nouit uoluntatem Domini sui & neque se comparauit NB., neque fecit ex eius uoluntate NB., caedetur multis plagis.* Homines quoque in Parabola se excusantes, ac uocationem ad regnum coeleste negligentes, omittebant aliquid, quod intermitteri non decebat, eo ipso tamen crimine peccati actualis, etsi analogice talis se obstringebant, *Luc. XIV.* Distinguendum enim esse sentio, inter ἀταξίαν actua-lem, analogice & in rigore sic dictam. Si terminus accipiatur in adcuratissima significatione, solis commissionis adscribi debebit peccatis: si uero paullo laxius capiatur, suo sub ambitu, omissionis etiam delicta poterit complecti. Etenim, quamuis omisio, physica non sit actio, moralis tamen naturam atque indolem induere uidetur, quia & in rebus morum, non-agendo delinquere, & quod inde sequitur, imputationem subire licet. Patebit, uniuersum, quidquid huius rei est negotium uberius, ac dilucidius, si saltem ad caput ex Philosophia Prima, quod de causa & caussato inscribitur, aliquantisper attendatur. *Etsi enim*

enim



enim illud, multis conspurcaturum fit ineptiis, nihilo tamen minus ibidem etiam aliquid licebit reperire, quod nobis in praesenti apprime utile esse potest. Traditur ibi distributio causae efficientis, in physicam & moralem, egregie ad praesentis de peccatis omissionis negotii expositionem faciens. Causa quippe moralis duplicis generis influxu gaudet, alio positivo, alio priuatiuo. Posituo influxu utitur, quando per ueram actionem largitur effectui essentiam: priuatiuum autem ibi licet reperire, sicubi causa moralis non-agendo, intermittendo, omittendo facit, ut hoc uel illud fiat, uel non fiat. Sequitur hinc, aliquem etiam non-agendo causam moralem, rei cuiusdam esse posse, quia in morali Philosophia, uocabulum actionis latissime capitur, adeo ut sub eodem quoque, intermissio actionis comprehendatur. Illud tamen infimul obseruandum, requiri hic, tum ut aliquis agere debeat, tum pariter ut agere possit. Ei enim, qui neque debet, neque ualet agere, nil iure potest imputari. Excipitur autem casus, si quis propria culpa, agendi ineptitudinem sibi procurauerit. Rebus quippe fictantibus, adhuc eidem effectus imputatur. Exempli loco esse potest totum genus humanum, cui non-impletio legis diuinae rectissime imputatur, quia in Adamo eiusmodi impotentiam operandi sibi contraxit. Neque enim existimandum est, legem moralem ulla ratione in N. T. esse abrogatam. Est quippe immutabilis uoluntatis diuinae significatio, qua pro imperio, quid ab hominibus sibi subiectis fieri uelit, iisdem indicat. Proinde nec illa toleranda erit assertio,



tio, qua dicitur, legem in statu noui federis, ἐπιεικεία  
 Euangelica, esse temperatam, ex merito eapropter à  
 nonnullis Nostratum proscripta. Sed ut ad rem  
 iterum, à qua aliquantisper dilapsus sum, redeam,  
 species influxus priuatiui multum faciunt, ad expli-  
 candam peccatorum omissionis naturam. Reus ergo  
 est huiusmodi peccati (1) qui mutus est, cum esse  
 non debebat. Sic ponamus, dari Doctorem quen-  
 dam Academicum, ad quaeuis studiosae iuuentutis  
 flagitia tacentem, nulli dubitamus, quin peccati cuius-  
 dam omissionis postulandus sit, quia causa moralis  
 eiusmodi delictorum est, quae proinde ipsi aequè impu-  
 tantur, ac si physice eadem commisisset. Idem sen-  
 tiendum, de ministris ecclesiae, ad omnis generis sce-  
 lera ab Auditoribus suis patrata, conniuentibus, quos  
 idcirco, canes mutos sacra appellat pagina. Pec-  
 cati omissionis coarguendus est (2) omnis non impe-  
 diens, ea, quae impedire poterat & debebat. Supre-  
 mum penes Israélitas Sacrorum Antistitem, praecipiti  
 ab irato Numine multatum esse morte, eo quod nefa-  
 rie actae improborum filiorum uitae, summis non  
 obstiterit, neq; obniscus sit molitionibus *in Libro 1. Sam.  
 Cap. II. 22. seqq.* relatum legimus. Fingamus quoque,  
 crimen aliquod grande à Titio esse commissum, quod  
 & poterat & debebat à Caio impediri, cum factum  
 non sit, imputabitur idem Caio, propterea, quoniam  
 aliquid intermisit eorum, quae ut omitteret ipsum  
 non decebat. Neque (3) à peccato omissionis libe-  
 rari poterit, omnis non-manifestans eiusmodi res,  
 quas celare non poterat, neque debebat. Ruben  
 quippe



quippe non plane immunis pronunciari poterit, à crimine uenditionis Iosephi, abs maleferiatis fratribus factae. Praeterea erat caussa doloris ac moeroris summi, quo Parens Iacobus uehementer affligebatur, dum eundem, quem tamen poterat, manifestatione totius negotii, lenire ac tantum non extinguere uolebat, *Genes. XXXVII.* Mente pariter complectamur atrox quoddam facinus, à Paulo patratum, quod commissum non fuisset, si Sempronius proditione rei, Pauli destinata animi consilia elusisset. Quid iam hac de re dicendum? Nonne & Sempronius in criminis partem ueniet? Utique! Peccauit & ille, dum nihil posituue egit. *Ανεπίαν* quippe & aberrationem à norma legis diuinae, innuit nocentissimum hocce silentium. Insigne etiam exemplum *ἀταξίας*, quae in intermissione actionis honestae consistit, suppeditauit nobis benignissimus noster Redemptor, in eleganti quadam Parabola à Matthaeo *Cap. XXV.* tradita. Dominum quendam ibidem repraesentat, Seruator noster, iter in peregrinas prouincias, regionesque parantem. Vocabat is ad se seruos suos, ut ipsis distribueret opes ac facultates, in quarum administratione, illi, eo absente, laudabiliter deberent uersari. Pro libidine sua, uni quinque, alteri duas imperitus erat partes, uicissim alteri, unicam saltem dederat portionem. Dominus, simulac itinere feliciter emenso, domum rediit, seruos uocat ad reddendam de bonis concreditae rationem. Duo ex illorum numero, quoniam egregie partibus suis erant perfuncti, laudibus praemiisque ornabantur. Tertius

B 3

uero,



uero, quia pecuniam in terra occultauerat, neque eadem aliquid erat lucratus, & uituperiis afficiebatur & poenis infimul acerbissimis castigabatur. Sed quid mali patrauerat ille? Sibi concredita restitue- rat, adeo ut Dominus nihil in summa pecuniae potu- erit desiderare, cur ergo reprehensionem, cur poenas merebatur? Causa istius rei facile potest suppeditari. Peccarat omittendo aliquid, dum istam, quam debebat & poterat, non impendit industriam. Non- agendo contraxerat reatum, quoniam in mente ipsius dabatur reluctantia aduersus promotionem commo- dorum Domini, reperiiebatur adfectata quaedam negli- gentia, uno uerbo, absentia amoris debiti erga iudi- cem & Dominum, cui actiones suas moderandi ius erat perfectum, ut cum Moralists loquar. Ceterum eius- modi delictorum uberrimam messem. tam Decalogus, quam etiam quotidiana experientia monstrant. Quot enim uitiorum myriades ostendi non possent, si sal- tem ad tres influxus priuatiui in causa morali modos attendatur, ac illi ad utramque legis moralis tabulam applicentur, quae in praesenti indicasse, atq; sic pauca tantum, de praestantissima hacce materia delibasse sufficiet. Veniendum quippe erit ad id, cuius gra- tia praesentem inprimis suscepi scribendi operam. Dies scilicet XXIII. Aprilis, sacer est in fastis nomini TVO, DVLCISSIME GENITOR, quo, propterea ne & ego omissionis peccato laedere uidear conscien- tiam, ut bona TIBI uerba dicam, integrasque uoto- rum segetes larga afferam manu, Pietas erga TE PARENS DESIDERATISSIME, iubet. Sapiienti autem



autem prorsus confilio, GEORGII nomen TIBI inditum esse arbitror, quoniam haecenus agrum & uineam supremi rerum omnium moderatoris ita coluisti, ut inuidia ipsa, teterrima inter passiones humanas bellua, ad conspectum rari exempli industriae Tuae, in curandis sacri muneris rationibus, adhibitae, contremiscat. Beatissimum illud quod cuncta nutu suo moderatur Numen, γεωργός est, *Io. XV. 1.* TV in eius aruo administer fuisti, *1. Cor. III. 9.* TV plantaſti, rigaſti, DEVS uero creſcendi uim dedit. Nomen ergo & omen, re nomini respondente habes. Laetare idcirco in Domino, quem à mortuis reſurrexiſſe, his diebus feſtis docuiſti. Imitare exemplum IOBI ac Diui LV THERI, ex uita CHRISTI, efficacifſima longe haurientium ſolatia. Saluator benignifſimus uiuit, & TV es uicturus. Parens huius Vniuerſitatis, fauſta, proſpera ac felicia quaeuis, TIBI, PARENS FILIALI OBSERVANTIA AETERNVM DEVENERANDE, quam clementifſime iubeat euenire, & per multos adhuc annos ſoſpitem ac incolumem TE praeflare haut dedignetur. Ita uale & admodum Reuerendis VIRIS KIENERO atque HAHNIO, plurimam meo nomine dic ſalutem. Iterum, iterumque uale !





*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and bleed-through.]*

Coll. diss. A 222, misc. 51